

1590 motu atque expectatione, Joannes Antonius Sorbellonus, Mediolanensis, divi Georgii titulo Cardinalis, collegii, in quo de Galliae rebus agebatur, princeps, Pontifici, ut in eo collegio quid praesenti rerum statu opus facto esset, decerneretur, suavit. Duo ac viginti Cardinales coram Xysto vocantur; diversae ibi sententiae, non minus ob parium rationum momenta, quam ob varios praefconsultorum affectus extitere. Petrus Dezza, gente Hispanus, Ptolemæus Gallius, Novocomensis, ac Ludovicus Madrutius, qui Hispano favebant, secumque majorem collegii partem trahebant, ejus sententiae fuere: quo minus, uti sibi libuisset, obnuntiaret, Hispanum oratorem impediri non posse, cum praesertim ea obnuntiatio ad Dei cultum, Ecclesiae statum, catholicæque religionis tuitiorem spectaret. *Qua enim lege id probiberetur? quid damni aut incommodi inde obventurum? an non, Hispano audito, matura consultatione adhibita, quid e re esset, postea responderi posse?* Omnes fere assensere; solus Dominicus Avalus Arragonius libere effatus, nullo pacto, ut Hispanus publice obnuntiaret, permittendum, inquit; ea in re de Apostolicæ sedis auctoritate ac dignitate agi; Philippo, qui inter sacros Principes minime censeretur, in religionis causa nullum jus esse: id porro si admittatur, in exitium Galliae regni casurum; dum Navarræo Ecclesiae hostibus penitus accedente, Galliae ad pristinum statum amplitudinemque redigendæ spes omnis præcidetur? an non in posterum perniciosum fore, Pontifices, dum de religione tractaretur, aliorum Principum libidini inservire? ab iis leges accipere? an non ecclesiasticam auctoritatem penitus deprimi, si ea Reges ad ambitionem atque dominandi cupiditatem abutantur? itaque arbitrari, rem cunctatione extrahi: a Cajetano literas expectari oportere.

Purpuratorum auditis sententiis, uti priori Xystus minime adsentiebatur, ita posteriori accedebat, ut nullo pacto Philippum exasperandum existimaret: se quidem Galliae legato scripsisse, ut tam cum foederatis, quam cum iis, qui Navarræi partes sequerentur, ex æquo ageret; summa dexteritate, lenitateque divulsas regni partes catholicæ religionis nexu copulare adniteretur; Lutetiaque ad tantam rem perficiendam suspecta, alio concederet: nihil igitur certi, nisi primum quo loco

Cardinalium
consultatio de
Hispanorum
obnuntiatione.

Xysti ad
Hispanos
de rebus
Gallicis
responsum.